ΑΝΑΚΕΦΑΛΙΟΣΙΣ NATVRARVM

NVTRITOR. Prima nostrae Physiologiae intentio praecipuaque materia erat quod ΥΠΕΡΟΥΣΙΑΔΕΣ (hoc est superessentialis) natura sit causa creatrix existentium et non existentium omnium, a nullo creata, unum principium, una origo, unus et uniuersalis uniuersorum fons, a nullo manans, dum ab eo manant omnia, trinitas coessentialis in tribus substantiis, ΑΝΑΡΧΟΣ (hoc est sine principio), principium et finis, una bonitas, deus unus, ΟΜΟΥΣΙΟΣ et ΥΠΕΡΟΥΣΙΟΣ (id est coessentialis et superessentialis). Et, ut ait sanctus Epifanius, episcopus Constantiae Cypri, in ΑΓΚΥΡΑΤΩ sermone de fide: *Tria sancta, tria consancta, tria agentia, tria coagentia, tria formantia, tria conformantia, tria operantia, tria cooperantia, tria subsistentia, tria consubsistentia sibi inuicem coexistentia. Trinitas haec sancta uocatur: tria existentia, una consonantia, una deitas eiusdem essentiae, eiusdem uirtutis, eiusdem subsistentiae, similia similiter aequalitatem gratiae operantur patris et filii et sancti spiritus. Quomodo autem sunt, ipsis relinquitur docere: 'Nemo enim nouit patrem nisi filius, neque filium nisi pater, et cuicumque filius reuelauerit'; reuelatur autem per spiritum sanctum. Non ergo haec tria existentia aut ex ipso aut per ipsum aut ad ipsum in unoquoque digne intelliguntur,* $|R, 264^{r}|$ *sicut ipsa reuelant:* ΦΩΣ, ΠΥΡ, ΠΝΕΥΜΑ (hoc est lux, ignis, spiritus).

Haec, ut dixi, ab Epifanio tradita, ut quisquis interrogatus quae tria et quid unum in sancta trinitate debeat credere, sana fide $|J, 1^{v}|$ respondere ualeat, aut ad fidem accedens sic erudiatur. Et mihi uidetur spiritum pro calore posuisse, quasi dixisset in similitudine: lux, ignis, calor. Haec enim tria unius essentiae sunt. Sed cur lucem primo dixit, non est mirum. Nam et pater lux est et ignis et calor; et filius est lux, ignis, calor; et spiritus sanctus lux, ignis, calor. Illuminat enim pater, illuminat filius, illuminat spiritus sanctus: ex ipsis enim omnis scientia et sapientia donatur.

741C 742C 743A

15–16 Matth. 11, 27 19 EPIPHANIVS, *Ancoratus* 67; PG 43, 137C–140A; GCS 25, p. 82, 2–12

1 incipit . . . ΠΕΡΙΦΥΣΕΩΝ] *om. R*, incipit quartus *M* 2 ΑΝΑΚΕΦΑΛΙΟΣΙΣ] *FJP, lege* ἀνακεφαλαίωσις 2 physiologiae] phisiologiae *P*, physeologiae *R* 3 quod] *p.* natura *transp. MR* 3 ΥΠΕΡΟΥΣΙΑΔΕΣ] *codd. Vtrum* ὑπερουσιώδης (hoc est superessentialis) natura *cum Gale (p.160) an* ὑπερουσιότης (hoc est superessentialis natura) *cum Floss (PL 122,741C) intelligendum sit, ambigitur* 7 ΟΜΟΥΣΙΟΣ] *codd., lege* ὁμοούσιος 7 **et**] R^1, *om.* R^0 9 ΑΓΚΥΡΑΤΩ] anchurato *MR* 9 de fide] Glo⟨ssa⟩: Ita enim uocatur sermo eius de fide ΑΓΚΥΡΑΤΟΣ, id est procuratus *mg. add. FJP* 10 *agentia*] *actiua MR* 10 *formantia*] *formatiua MR* 11 *operantia*] *operatiua MR* 13 *eiusdem*] *eiusdemque M* 13 *eiusdem uirtutis, eiusdem subsistentiae*] *om. M* 13 *subsistentiae*] *substantiae R* 14 *similiter*] *ex simili MR* 15 *sunt*] *om. M* 25 spiritus sanctus] sanctus spiritus *R*